

tioni proximam pervenissent, quadringenti milites navibus egressi, ut corpora aliquantisper æstu levarent, se temere sub umbra arborum in herbido prostravere. Venetus in tali occasione haud cessandum ratus, averſa infusæ parte ad eos silentio annavigavit, atque ex iis navibus, quæ admotæ erant, ad centum quinquaginta in terram digressis; subito clamore incautum hostem ac semisomnem adoriuntur. Ille vero inopinato malo percussus, neque arma capit, neque se satis ad fugam expedit: demum urgente metu, alii alio dilapsi, pauci ad naves confugere, quibus trepide abductis, in tutum abierunt, reliqui a suis destituti, alii ferro, alii in aquas præcipitati periere: septuaginta, qui vivi in victoris potestatem venerunt, ad Severianis conspectum adducti sunt. Eos quum Mediolanenses esse constitisset, atque eosdem opifices, qui non militandi studio, sed Principis jussu naves conscendissent, benigne acceptos, vestibis & viatico adjutos, dux ipse ad unum dimisit. Eam cladem hostis majore Venetorum incommodo non multo post ultus est. Scinditur, ut diximus, Padus quingentos infra Ficariolum passus. Statuerant Veneti duces in fronte ejus insulæ, quam fluminis divortia faciunt, subito opere præsidium communire, ut dexter fluvius, quo ex Stellatis Ferrariam navigatur, hostibus clauderetur. Ferunt Antonium Marcianum primum omnium loci opportunitatem ostendisse, atque iccirco præsidii communiendi negotium illi datum. Is cum Bartholomæo Falcerio, Thoma Imulano, duabusque peditum cohortibus locum subito occupavit, occupatumque, adomota ad id opus vi agrestium ingenti, communire cæpit. Milites interim focique navales prædæ studio ab opere averſi, Ferrariam usque prædabundi processere, prædaque ingenti parta, ubi ad naves reditum est, Marciano cum operariorum manu paucisque militibus relicto, in castra & ad stationem, quæ in averſa ripa erat, sine imperio abierunt. Relictorum infrequentia effecit, ut per diem locus communiri nequiverit. Hercules, cognito hostium consilio (quod ut sciret, expeditissimis nunciis Feltrius Dux cu-